



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Infirmitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

<sup>1</sup> Sumere, sicut fecit sanctus Sebastia-  
nus, dummodò in tali habitu non sit  
aliquod principaliter institutum, ad  
discernendum professores alicuius in-  
fidelitatis: tunc non liceret, suprà, Apo-  
stata. §. 4. Fides, §. vlt. quia tunc menti-  
retur contra suam professionem. An li-  
ceat disputare cum infidelibus, suprà,  
Disputare. §. 1. An ille qui nunquam  
audiuit de fide, possit excusari, suprà,  
Fides §. 2. nam si in naturalibus existe-  
re necessitate Deus non deficit: multò  
minds in his, quæ ad hominis salutem  
pertinent.

INFIRMITAS.

<sup>1</sup> INFIRMITAS animæ dicitur,  
quando impeditur anima à pro-  
pria operatione propter inordinatio-  
nem partium ipsius, vt quando irasci-  
bilis, & concupiscibilis affectus passio-  
nibus, non subduntur rationi. Tho.  
prima secundæ. quæst. 77. a. 3. & tunc  
peccatur.

<sup>2</sup> PECCATVM ex tali infirmitate  
tunc mortale dicitur, quando est cum  
deliberato cõsensu rationis circa mor-  
talia, vel procedit ad actum peccati  
mortalis, vt homicidij, vel huiusmo-  
di: secus in subitis motibus, quibus ra-  
tio non potest occurrere. Tho. vbi su-  
prà. ibi enim non est rationis delibera-  
tio, cuius est ordinare.

<sup>3</sup> INFIRMITAS animæ quædo to-  
taliter inuoluntaria est, excusat à mor-  
tali penitus: quia non potest esse pec-  
catum, quod omnino est inuolunta-  
rium: vt si quis bibendo, & vini po-  
tentiam non cognoscendo inebrietur,  
& postmodum percuriat aliquem, ex-  
cusatur à mortali: quia talis passio  
fuit inuoluntaria. Si autem infirmi-  
tas hæc sit voluntaria directè, vel in-  
directè, non excusat. Dicitur volun-  
taria directæ, quando voluntas fertur  
in illud, vt quando quis intendit ineb-  
riari. Indirectè, quando voluntas  
fertur in causam: vt cum quis non  
vult inebriari, vult tamen vinum im-  
moderatè bibere, timens tamen, &  
non curans de ebrietate. Ideò qui ex  
aliqua passione aliquem interficit,  
vel fornicatur quod tamen non in-

tendebat à principio: tamen quia po-  
tuit prohibere talem passionem, & de-  
buit, & non fecit, inditectè voluit id.  
quod secutum, videlicet homicidium  
vel fornicationem. Thom. prima se-  
cundæ, suprà, de ma. qu. 3. art. 10. ad  
quartum.

<sup>4</sup> PASSIO præcedens iudicium ra-  
tionis: secundum Th. qu. de ma. q. 3. a.  
11. aliquantulum peccatum alleuiat, se-  
quens autem aggrauat: sicut in benefa-  
ciendo passio præcedens minuit meri-  
tum, sequens autem auget. Signum est  
enim quod motus voluntatis est for-  
tior: ideò magis in benefaciendo me-  
retur, & in malè agendo peccat: vnde  
passio non est meriti, vel peccati maio-  
ris causa, sed motus voluntatis, cuius  
passio signum dicitur.

<sup>5</sup> AN famulus infirmus debeat habe-  
re salarium, vide suprà, Familia. §. 2.  
Infirmi à ieiunio, & multis alijs obli-  
gationibus de consilio medici timo-  
rati excusantur.

INGRATITUDO.

<sup>1</sup> INGRATITUDO secundum Th.  
secunda secundæ. q. 107. & Archid.  
Flor. secunda parte. titu. 3. ca. 9. est vi-  
tium, quod committitur, quando be-  
nificatus non retribuit suo benefa-  
ctori id, quod debet: habetque tres  
gradus. Primus, quando non retri-  
buit, sed malum pro bono accepto  
dat. Secundus, quando dissimulat,  
vel beneficium vituperat. Tertius,  
quando non recognoscit beneficium,  
sed maleficium reputat: & opponi-  
tur virtuti gratitudinis, quæ ad iusti-  
tiam pertinet: ideò semper est pecca-  
tum, cum virtuti opponatur. Mate-  
rialiter autem sumpta, peccatum ge-  
nerale est, quia in omni peccato inue-  
nitur, cum omne peccatum sit con-  
tra Deum benefactorem nostrum.  
Formaliter verò est speciale peccatū,  
& etiam mortale in omittendo, quæ  
necessario sunt faciendā, non retri-  
buendo, quæ necessario sunt retri-  
buenda, non regratando, & non re-  
cognoscendo in casu, in quo hæc sunt  
necessario faciendā. Mortale est etiam  
si fiat